Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8496
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Siquis venit post me venire abneget semetipsum. et tollat crucem suam cotidie et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet illam. Nam quid proderit homini si lucretur universum mundum. seipsum autem perdat et detrimentum sui faciat. Nam qui me erubuerit et meos sermones. hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua et patris et sanctorum angelorum. Dico autem vobis. quia sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum dei.

Sm Matthiam.

Illo t: Dixit d. i. d. s. Nolite arbitrari. quia venerim mittere pacem in terram. Non veni mittere pacem sed gladium. Venit enim separare hominem adversus patrem suum et filiam adversus matrem suam. et nurum adversus socrum suam. et inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quam me. non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me. non est me dignus. Qui invenerit animam suam perdet illam. Et qui perdiderit animam suam propter me. inveniet eam. Qui recipit vos. me recipit. Et qui me recipit. recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophete. mercedem prophete accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti. mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis tantum scilicet in nomine discipuli. Amen dico vobis. non perdet mercedem suam.

Sm Inocentes.

Illo t: Dixit d. i. d. s. Siquis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores. adhuc autem et animam suam. non potest esse meus discipulus. Et qui non baiulat crucem suam et venit post me: non potest esse meus discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim edificare non prius sedens supputat sumptus qui necessarii sunt. si habet ad perficiendum. ne postquam posuerit fundamentum et non potuerit perficere. omnes qui videbunt incipiant illudere et dicere. quia hic homo cepit edificare et non potuit consummare. Aut quis rex